



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bavaria Sancta Maximiliani Sereniss. Principis Imperii,
Comitis Palatini Rheni, Vtrivsq. Bav. Dvcis Avspiciis**

Rader, Matthäus

Monachii, 1615

S. Florianvs Trib: Mil. Martyr Lavreaci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79686](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79686)

S. FLORIANVS TRIBVNVS MIL. MARTYR.



<i>Salve lux generose FLORIANE,</i>	<i>Princeps purpurei decus senatus,</i>	<i>Largo Sanguinis imbre purpurarunt.</i>
<i>Ingens gloria FLORIANE Martis,</i>	<i>Qui testes Domini Deiq; nostri.</i>	<i>Ex hoc caelivum rubente flore.</i>
<i>Sed CHRISTI generosior triuinus,</i>	<i>Signarunt tabulas, fidemq; cali</i>	<i>Flos es non morituri FLORIANE.</i>

S. FLORI-

S. FLORIANVS

T R I B: M I L.

MARTYR LAUREACI.



Quilinus vir clarus & consularis, præfecturâ Norici Riparij à Diocletiano acceptâ, quod gratum Imperatori sciebat, quæstiones acerrimas Laureaci in Christianos exercuit, & primum quadraginta comprehensos, varijs cruciatibus afflixit. Quæ fama vbi Floriani tribuni Mil. aures verberauit, illico Laureacum aduo-

lans incidit in commilitones, à quibus cum didicisset atrociter in Christianos inquiri, Ecquem, inquit, desideratis? En adsum & ego Christianus; coram adesse me præfidi renunciate. Vocatum, iussit Dijs adolere; negantem fustibus cædi, scapulas ferro lacerari; in sententia perseverantem, de ponte in subiectum flumen Anasum deuolui. Apparitor, qui suspensio de ceruice saxo Florianum præcipientem in aquas deuoluit, luminum illico crepantium vsum amisit. Corpus incliti militis vndæ ad saxum prominens exposuerunt tandem alicuius custodia seruatum, quoad matrona diuinitus admonita tumultu intulit. Conditum inde illius memoriæ illustre templum, adiectum posteris sæculis cœnobium sodalibus D. Benedicti incolendum, quod inde rursus, æuo omnia in vetustatem redigente, ab Angelberto Batauensi Pontifice instauratum D. Augustini disciplinam profitentibus assignauit, quod demum Altmannus Antistes rursus fatiscens in maiorem splendorem eduxit, & à posteris S. Floriani appellatum, in cuius peristylio hæc inscriptio legitur. *S. Florianus in pago Zeiselmuro inferioris Austriæ circa annum Christi CXC. natus, sub Aquilino Diocletiani militum præfecto Anassi martyrio coronatus, Anno Christi CCXXX. Est in ipsa æde S. Floriani tabula picta, quæ distinctis capitibus totam ipsius vitam quindecim argumentis spectandam representat.*

Primum in certamen pro religione progressurus, vltimum domesticos salutat.

Deinde Laureaci in ipso ponte Anassi captus describitur.

Præterea postulatus reus est impietatis apud Aquilinum, hoc enim nomine & crimine pietatem Christianam impij afficiebant.

Ob constantiam porro bacillis tunditur.

Vncis quoque candentibus vritur & carpitur.

Cum

Baron. de
C. 197.
Tom. 2.
Proprium
Sancti
Batauen-
sum IV.
Non. Maii
Martyrol.
Rom. Ba-
ronius Et
Annal. et
quos ille
laudat.
M. Felle-
rum l. 3. p.
275. Suri-
us A. Maii
3. sermo.

* ass. grati

CCXXXI

Cum Aquilinus in super sua imperia & tormenta contemni videret, prope in rabiem actus præcepit fortissimum heroem in flumen præcipitari.

Lictori mandata exequuti lumina repente conuulsa exciderunt.

Octava icon ostendit, vt corpus defuncti victoris & Martyris aduerso flumine saxo applicitum, ab alite à feris & volucris defensum fuerit.

Proxima refert, vti S. Florianus per nocturnam quietem viduam monuerit de corpore suo sepeliendo.

Sequens docet, qua arte Valeria vidua sacrum athletæ pignus, carpento impositum, virgultisque tectum abduxerit.

Vndecima pictos habet boues firi & æstu ad mortem defectos, & saliente scaturigine subito existente resectos.

Hic fons agris haustus haud paucis saluti fuit.

Mox ad sepultas eius reliquias mortuus in vitam redijt.

Dua postremæ effigies monent exemplo carbonarij in medium delapsi incendium, & votis S. Floriani erepti, illum aduersus pericula incendiorum præsentem esse tutelam. Et quia Tribunum aut Centurionem fuisse tradunt historiæ, etiam in bellicis tumultibus illius vota & auxilia petenda, nec fuisse frustra experta.

Hæc vir illustris Sebastianus ab Adelzhausen, illius toparchiæ Præfectus ad me perscripsit.

